

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

Σὺν Θεῷ

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Trigesima Sexta,

De

PASSIONE RE-

DEMTORIS NOSTRI

JESU CHRISTI,

Quam

Annuente Θεοφώπῳ

SVB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Theol. D. & P. P.

In privato Collegio ad disputandum

proponit

JOHANNES HÖLZERUS COLO-
nienfis Marchicus.

*Habebitur ad diem 28. Novemb. horis pome-
ridianis*

In auditorio minori.

WITTEBERGÆ

Johannes Gorman excudebat,

Anno cl. l. c. CXIX.

CHRISTOLOGICIS SACRIS

Disputatio I. de

PASCHAE

FR. BARTH. STREIBER

JOHAN. STREIBER

1712

Leipzig

Συμ' Θεω
CONTINUATIO.

Quamvis secunda sacrosanctae Trinitatis persona, FILIVS DEI ab ipsa statim nativitate, salutis nostrae acquirendae gratiam munera (sive officia aliquot expedienda suscepit: Tamen Passionis praecipue historiam, (quae acerrimum Christum cum hostibus nostris conflictum describit) compendiosam sanctissimi huius meriti doctrinam esse ex indubitatis scripturae oraculis patescit. Quum igitur omnia ferme, quae mirabilem hanc pugnam praecessere, ex superioribus disputationibus intelligantur; ex debito etiam venit, ut Redemptori nostro de Bosra gradienti, & in magnitudine fortitudinis suae exultanti obviam procedamus. Id quod aliter fieri nequit, quam pia & ardentissima Passionis dominicae consideratione, quam quatuor hisce capitibus comprehensam breviter pertexemus. In primo vaticinia quaedam Veteris Testamenti, in quibus de Christi passione agitur, perlustrabimus. In secundo vaticiniorum illorum impletionem secundum rerum gestarum circumstantias dispiciemus. In tertio illustriores quaestiones enodabimus. In quarto & ultimo tandem meditationem Practicam subjungemus. Tu modo, O IESU CHRISTE, coeptis nostris annue, ut omnia dicta & cogitata nostra cedant in sempiternam passionis tuae gloriam, & nostram salutem.

Caput I. de vaticiniis Veteris Testamenti.

A 2

I. Pas-

I. **P**assionem **CHRISTI** (quæ nihil aliud est, quàm horrenda **DEI** pœna, quam **CHRISTUS** propter peccata nostra, quæ ex ineffabili dilectione in se derivârat, factò mirando temperamento justitiæ & misericordiæ divinæ spontè sustinuit, ad peccatorum nostrorum expiationem, iræ divinæ placationem, & totius generis humani liberationem) Hanc, inquam, **CHRISTI** passionem Propheta in libris suis **Ἰεροπυλῶσις** ubiq; prædixerunt. Quia enim Agnus occisus est ab origine mundi, apoc. 13. v. 8. & **CHRISTI** obedientia Patriarchis æquæ ac nobis efficacissimo solatio fuit, de salutifero hoc merito in multis vaticiniis & typis loquuntur.

II. Vnde colligitur, quòd prædictiones illæ ad duas classes referri queant 1. enim clara de passione Christi extant testimonia 2. Historiæ quædam Veteris Testamenti eam præfigurarunt.

III. Priora vaticinia rursus duplicia sunt. Quædam enim generaliter Filij **DEI** passionem attingunt, quale est illud in primo Evangelio de morsu serpentis, Gen 3. v. 15. de angoribus desertionis, qui describuntur Psal. 22. v. 3. &c. de aquis dolorum usq; ad animam intrantibus & limo profundi, Psal. 69. v. 2. 3. de torrente in via, Psal. 110. v. 7. &c.

IV. Referrî huc possunt omnia reliquorum etiam Prophetarum testimonia, quibus passionem & mortem Salvatoris nostri adedè graphicè depingunt, ut eo ipso tempore, quò **CHRISTVS** crucifixus est, vixisse videantur. Huc pertinet cap. 53. Esaiæ, ubi de susceptis **CHRISTI** languoribus prolixè

lixè satis differit, & c. 63. ubi egregio dialogismo
Redemptorem nostrum de Bofra ascendentem in-
roducit. Quibus reliqua addi possunt testimonia
ex Dan. 9. v. 26. Zach. 13. v. 7 & c.

V. Specialiora porro dolores quosdam seorsim &
specificè describunt. Sic Iudæ proditoris insidias
previdit regius Propheta, Psal. 41. v. 10. venditio-
nem CHRISTI vili precio factam prædixit Za-
charias 11. v. 13. qui de fuga quoq; & dispersione di-
scipulorum conqueritur c. 13. v. 7. de furore porro
gentium Psal. 2. v. 1. de flagellatione Psal. 129. v. 4.
de contumelijs & varijs opprobrijs, Psal. 22. v. 8. 9.
& c. de crucifixione Ps. 22. v. 17. de vestimenti divi-
sione eodem Psalmo v. 19. de felle cum aceto mixto,
Psal. 69. v. 23. de mortis agone, Ps. 22. v. 16. Es. 53. 8.
de lateris transfixione Zach. 12. v. 10. & c. agitur.

VI. Neq; tamen prædictiones solùm perspicua de
passione loquuntur: sed typi etiam, vel imagines
quædam eam præfigurant, quibus accenseri po-
test oblatio Isaac, Genes. 22. Venditio Iosephi,
Gen. 37. v. 28. agni paschalis immolatio. Exod. 12.
v. 5. 6. 7. hirci omnes iniquitates portantis emissio,
Lev. 16. v. 21. ænei serpentis exaltatio, Num. 21. &
typus lonæ, quem CHRISTVS ad se transtulit,
Matth. 12. v. 40. Huc alia sacrificiorum genera, &
plures historia spectant, quæ in Veteri Testamento
passim occurrunt.

Cap. II. de vaticiniorum impletione.

I. Omnia hæc vaticinia certissimo eventu impleta
esse ex diligentiore circumstantiarum enarratione,

quam paucis subjiciemus, elucebit. Et primò quidem tempus passionis. 2. Locum. 3. Modum. 4. Causas breviter percurremus.

II. Tempus scriptura. 1. Genericè. 2. Specificè determinavit. In genere quidem, ubi Paschalis festi mentionem fecit Matth. 26. v. 2. Maclandus quippe erat hoc ipso tempore verus agnus paschalis, qui veteris Testamenti typum impleret, de quo Exod. 12. v. 5, 6. 1. Cor. 5. v. 7. 8. legitur.

III. In specie porrò omnes penè temporis articuli vel hæræ numerari possunt. Summo enim mane Christus à Iudeis capitur. Deinde 1. horâ (nobis sexta) ad Pilatum ducitur. 3. hora (nobis 9.) damnatur. 6. fermè (nobis 12.) crucifigitur. 9. (nobis fortè 5.) magnò cum clamore expirat. Omnes hi temporis articuli accuratiore Passionis Dominice considerationi inserviunt.

IV. Deinde LOCUS etiam pro angorum diversitate variè describi potest. 1. inim notandus est locus captivitatis, ubi tamen antè captivitatem quoq; angores verè infernales per sensit, ita ut stupendo quodam miraculo sanguineum sudorem sudarit. Locum hunc Matth. 26. v. 36. &c. Marc. 14. v. 32. Gethsemane appellitant. Nam qui Palestinam perlustrarunt (teste Clariss. Gerhard. in harm. Evang. p. 46.) Gethsemane pagum sive prædium ad radices montis oliveti situm, & hortis conspicuum fuisse referunt. Vid. Job. 6. 18. v. 1. seq.

V. In horto enim primus homo peccavit; In horto CHRISTVS salutem reparavit. Conf. August. serm.

71. de temp. Cyrill. lib. 11. in Ioh. c. 31. Theophyl. in
c. 18 Ioh. Hortos quoque primus homo peccato pro-
phanaverat. CHRISTVS igitur perfectam suam
obedientiam eos iterum sanctificat, ardentissimis
precibus consecrat, & sanguineo imbri irrigat.
Quoties igitur hortos ingredimur, sedulo annita-
mur, ne oculis tantum blandiatur amoenitas, sed
pia etiam passionis recordatio in animo excitetur.
VI. 2. Observandus est locus condemnationis, quae
contigit I. coram Caipha in Sacerdotum & Senio-
rum concilio, Matth. 26. v. 57. Marc. 14. v. 53. Luc.
22. v. 54. Ioh. 18. v. 24. II. In Romani Magistra-
tus praetorio, Matth. 27. v. 2. Marc. 15. v. 1. Luc. 23.
v. 1. Ioh. 18. v. 28. III. In coetu populi, Matth. 27.
v. 22. Marc. 15. v. 14. Luc. 23. v. 21. Ioh. 19. v. 7.
VII. Tandem considerandus est locus mortis & sup-
plicij. Statim enim, ut condemnatoria sententia
contra CHRISTVM pronunciata fuit, à militibus
ex urbe educus est ad locum ignominiosissimae cru-
cifixionis. Locum hunc Evangelistae uno ore Gol-
gatha vel Calvariae locum nominarunt Confer.
Matth. 27. v. 33. Marc. 15. v. 22. Luc. 23. v. 33.
Ioh. 19. v. 17. Erat autem Golgatha mons petrosus,
publicis supplicijs infamis, & urbi Hierosolymae
vicinus.
VIII. Ultimus hic educationis terminus fuit. Non
enim desunt ex veteribus, qui montem Golgatha à
Calvaria Adami ibidem sepulti nomen habere scri-
pserint. Traditionem hanc à priscis patribus per-
venisse ex Cyprian. sermon. de Resurrect. Basilij

quādam orat. Theophyl. in cap. 27. Matth. & alijs constat.

IX. Verū hanc sententiam scripturae auctoritate destitutam merito in medio relinquimus, statuentes potius cum alijs probatae fidei autoribus montem Calvariae à cranijis damnatorum, & supplicio affectorum nomen invenisse. CHRISTVM autem ad hanc sceleratorum aream deduci voluisse, ut nos à nunquam desituris gehennae supplicijs liberaret. In hoc itaq; monte tandem inter duos latrones nocentes justissimus & sanctissimus, quem Patri prius commendaverat, spiritum placidè emisit Matth. 27. v. 50. Marc. 15. v. 37. Luc. 23. v. 46. Ioh. 19. v. 30.

X. Ex diligentiore TEMPORIS & Loci consideratione ipse simul passionis MODVS, seu tota rerum gestarum series magna ex parte intelligitur, quam alijs per actus distinctos declarant. Ad primum actum referunt ea, quae in horto contigerunt, Christi nimirum ad montem olivarum egressum, angorem & tristitiam, captivitatem & iudae traditionem. Ad secundum actum referri possunt, quae in concilio sacerdotum coram Caipha gesta sunt. Huc spectat falsa testimonium contra Christum depositio, militum illusio, ubi obtegitur, conspuitur, &c. & Petri abnegatio, ejusdemq; conversio.

XI. Ad tertium actum ea pertinent, quae Christus in praetorio Pilati passus est, ubi occurrit nova quaedam coram Pilato accusatio, Christi preteritio & Barrabae dimissio, quam alia Salvatoris nostri illusio sequitur, quae exacerbatur flagellatione, purpu-

reo

vea tunica in vulnera impressione, spinea corona
impositione, ironica salutatione & adoratione. Ad
quartum deniq³ actum reducitur passio Domini
in cruce cum quibusdam adjacentibus, ubi expen-
denda venit Christi ad crucem eductio, ipsa cruci-
fixio, vestimentorum divisio, & miraculorum enu-
meratio, de inusitata Solis obscuritate, veli fissura,
sanguinis & aquae ex demortuo Christi latere
profluxu &c.

XII. Verum haec omnia partim in superioribus com-
prehenduntur: Quaedam vero tanti momenti sunt,
ut nullo ingenij flumine, nulla verborum copia
describi queant, sed nullo non tempore diligentissi-
mam meditationem mereantur, quam omnibus
Christianis serio commendamus. Quocirca ulti-
mam etiam circumstantiam, quam causarum con-
templatio suppeccat, paucis subjiciemus.

XIII. Causae autem efficientes passionis multae fue-
runt. Primo amor & misericordia DEI Patris er-
ga genus humanum, Iohan. 3. v. 16. 1. Ioh. 4. v. 9.
Rom. 5. v. 8. 2. Iustitia DEI plenariam & perfe-
ctam pro peccatis satisfactionem requirens. 3. Ipsius
Filij DEI charitas, Gal. 2. v. 20. 4. Peccatum Esai.
53 v. 4. 2 Cor. 5. v. 21. 1. Pet. 2. v. 24. His & simili-
bus reliquae etiam causae efficientes, quales sunt vo-
luntaria Christi obedientia, Iudaeorum malitia &
invidia, Iudae avaritia facile addi possunt.

XIV. Causa finalis passionis & mortis CHRISTI
diversimodo spectari potest. Primo passio & mors
CHRISTI est sacrificium pro peccatis nostris. Dan. 9.

7.24. Matth. 26. v. 28. Rom. 4. v. 23. Hebr. 9. v. 28.
Secundò liberatio à maledictione Legis, Gal. 3. v. 13.
Rom. 8. v. 3. à morte & potestate Diaboli, Hebr. 2.
v. 14. à pœnis inferni sempiternis, Osee 13. v. 14.
Vnde sequuntur, Iustificatio, regeneratio, & vita
eterna.

CAPVT III.

I. His ita prelibatis, quæstiones illustriores subji-
cimus. Et primò quidem de persona patiente quæri
solet: Vtrum nimirum passio verè & realiter toti
CHRISTI personæ secundum utramq; naturam
competat & tribuenda sit? Nos affirmativam am-
plectimur, juxta indubitatam antiquitatis regu-
lam, quæ actiones & passiones totius suppositi esse
pronunciat.

II. Ideoq; omnia, quæ de Filio hoc hominis dicun-
tur, verissimè etiam de Filio DEI incarnato, pro-
pter personæ identitatem, & unionem personalem
dici credimus & confitemur. Præsertim quum ve-
ritatis facem ipsa nobis scriptura præferat, quàm
meritò securè densissimas etiam errorum tenebras
facile declinabimus.

III. Hæc enim Vitæ Principem interfectum
esse, Act. 3. v. 14. Ecclesiam non hominis tantum, sed
(quod probè notandum) proprio DEI sanguine ac-
quisitam esse, Act. 20. v. 28. genus humanum DEO
per mortem Filii ejus reconciliatum esse, Rom. 5.
v. 10. DEVM proprium FILIVM pro nobis tradi-
disse. Rom. 8. v. 32. Iudeos Dominum GLORIÆ
crucifixisse, 1. Cor. 2. v. 8. homines sanguine FILII
DEI à peccatis mundari, 1. Joh. 1. v. 8. testatur, Qui-
bus

bus scripturae oraculis ecquid clarius, ecquid illustrius?

IV. Faceſſat igitur Neſtorij vox hæretica: Noli gloriari ludæe: Non enim DEVM, ſed hominem crucifixiſti. Faceſſat Zvinglij Allæoſis, & Synecdoche quorundam in explicandis ſcripturae dictis, quæ adeo clara & perſpicua ſunt, ut in arduo hoc redemptionis negotio pro integrâ Chriſti perſonâ alterutram duntaxat naturam nullo modo intelligendâ vel acceptandâ eſſe ſatis evidentè evincant.

V. Proinde, ut quàm optimè adverſus errorem hunc præmuniamur, placuit D. Lutheri verba hoc loco recenſere è majori ipſius de Cœna Domini confeſſione, in quibus de Zvinglij allæoſi agit: verba autem ſic habent: Hoc Zvinglius vocat ἀλλοιωσιον, cum aliquid de divinitate CHRISTI dicitur, quod tamen humanitatis proprium eſt, & contra, V. G. ubi in ſcriptura dicitur: Nonne hæc oportuit pati CHRISTVM, & ita intrare in gloriam ſuam? Ibi nugatur Zvinglius, quod vocabulum CHRISTVS hoc loco pro humanâ naturâ ſumatur. Cave tibi, cave, inquam, tibi ab allæoſi: Eſt enim larva quædam Diaboli: quæ tandem talem Chriſtum fingit, ſecundum cujus rationes ego certè nolim eſſe Chriſtianus. Hoc enim illa vult, quod Chriſtus nihil amplius ſit, aut efficiat ſuâ paſſione & vitâ, quàm alius quiſpiam ſanctus. Si enim perſuadere mihi poterat, ut credam, ſolam humanam naturam pro me paſſam eſſe, proſectò Chriſtus mihi non magni pretij Salvator erit. Hactenus ille.

VI. Ob.

VI. Overtis : Particulas tamen distinctivas à nostris etiam Theologis nonnunquam adhiberi, ita ut Christum κατ' ἄλλο in carne vel secundum carnem passum esse fateantur. Respondeamus, rem esse diversissimam, planeq; à scopo alienam. Non enim per illas Zvingliana allœosis aut σωσῆδοχὴν stabilitur, sed naturarum duntaxat distinctio significatur.

VII. Atq; hinc colligitur, duplicem esse ἁλλοίωσιν, alteram orthodoxam & Lutheranam, alteram Heterodoxam & Zvinglianam. Illa est διοριστικὴ, hæc χωριστικὴ, illa distinctiva, hæc exclusiva. Illa duas in una persona naturas ἀσυγχύτως καὶ ἀχωρίτως unitas pie docet atq; agnoscit; Hæc arduum illud redemptionis mysterium (sicut ex superioribus Lutheri verbis colligitur) penitus evertit.

VIII. Concludimus igitur (ut ad alia tandem progrediamur) quòd æternus æterni DEI Filius, ipse DEVS benedictus in secula participes factus sanguinis & carnis, similiter sicut hi pueri (excepto peccato) Hebr. 2. v. 14. & verus homo fuerit persona patiens tot contumelias, tot cruciatus corporis, angustias mentis, ipsam deniq; mortem crucis ignominiosissimam.

IX. Ex conclusionis hujus evidentiâ & veritate nove statim controversiæ decisio nascitur, quando Photiniani querunt: Verum passio Salvatoris nostri IESV CHRISTI pro peccatis generis humani satisfecerit? Si enim propositio hæc, DEVS est passus, aut vano illo phraseos ἀρχαῖος prætextu rejici, aut in alienum prorsus sensum violenter detorqueri nequit, affirmativæ sententiæ merito adstipulamur, aliàs divinæ virtutis efficacia penitus evanesceret, imò ipsa generis humani redemptio tolleretur, quam tamen emphaticè urget scriptura, Rom. 3. v. 24. I. Cor. 1. v. 30. I. Cor. 6. v. 20. Ephes. 1. v. 7. Col. 1. v. 14. I. Tim. 2. v. 6. Hebr. 9. v. 12. I. Pet. 1. v. 18, 19. 2. Pet. 2. v. 1. Apoc. 5. v. 10. & 6.

X. Pra-

X. Præterea Christum Mediatorem nostram unicam scripturam agnoscit, 1. Tim. 2. v. 5. Hebr. 8. v. 6. Quemadmodum igitur Mediator est inter partes extreme dissidentes, ita quidem, ut propter dissidium illud sanguinem effundat, mortem subeat, & certis cuiusdam pretij interventu utriusque parti satisfaciat: Ita cælestis ille Mediator inter DEVM ob peccata iratum, & nos homines à DEO irato extreme dissidentes versari voluit, & proprio sanguine effuso, Col. 1. v. 14. Hebr. 9. v. 12. patri cælesti obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. v. 8. adeoque satisfactione sufficientissima Mediatoris officium explevit.

XI. Huc accedit, quod peccata & languores nostros in se receperit, Esai. 53. v. 4, 5. Vnde iterum sequitur, quod nostri causam sese obtulerit, adeoque eterno Patri pro nobis satisfecerit. Et quamvis hic regerant adversarij, Christum sese obtulisse DEO pro peccatis nostris, non in mundo, ubi mortem subiit, sed in cælis post ascensionem gloriosissimam: Tamen has & consimiles exceptiones scriptura prorsus ignorat. Quam igitur facilitate ab adversarijs adferuntur, eadem à nobis rejiciuntur. Plura de hac controversia vide in disputat. Anthropolog. admodum Reverendi & Clarissimi Domini Præsid. Præceptoris & Patroni mei colendi (disp. 25. de stat. reparat.)

XII. Ex ijs, quæ hæcenus allata sunt, nova repullulat questio: Vtrum nimirum universalis sit CHRISTI satisfactio? Calviniani negativam defendere conantur, & meritum Christi particulare esse contendunt, atque adeo non ad omnes promiscue homines extendi: sed ad eos tantum, qui absoluto DEI decreto ad id peculiariter præordinati, reliquis omnibus & singulis inde exclusis & rejectis. Vnde Beza in colloq. Mompelg. Num verò Christus totius mundi peccata sustulit, ut vos de singulis interpretamini? Et certè nobis intolerabilis vox vestra visa est: Christum esse mortuum pro damnatis &c.

XIII. Nos in hac controversiâ iterum affirmativam tuemur, constanter pronunciantes, meritum Christi sacratissimum omnino esse universale, quocumq; etiam modo & respectu consideretur. Quocirca, ut ordine procedamus, τὸ λύτρον à Filio DEI persolutum.

1. Universalitatem omnium peccatorum, tam originalis, quam actualium. 2. Universalitatem, tam culpæ, quam pœnæ. 3. Universalitatem omnium omnino hominum, non electorum solum, sed damnatorum etiam, & reproborum comprehendere asserimus.

XIV. Et primò quidem, quòd CHRISTVS satisfactione suâ sufficientissimâ omnia hominum peccata expiarit, testis αὐτόπις & partim Ἰπικῶς, partim εἰδικῶς affirmat. Ἰπικῶς de omnibus in univèrsum peccatis, Tit. 2. Christus redemit nos ἀπὸ πάσης ἀνομιίας, & 1. Ioh. 1. Sanguis IESV CHRISTI FILII DEI emundat nos ab omni peccato. εἰδικῶς de actualibus peccatis, Heb. 9. legimus: sanguis Christi purgat nos ab operibus mortuis, & 1. Ioh. 2. Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, IESVM CHRISTVM, justum, qui est propitiatio &c.

XV. Deinde de universalitate pœnæ (de culpæ enim universalitate hætenus egimus) gnomo Prophete notissima est (Es. 53.) Pœna ipsi imposita est. Nam si pro culpâ satisfecit, quidni etiam pro pœnâ? Et sublata culpâ, pœna etiam pro culpa infligenda tollitur. Imò, quæ hæc tandem esset satisfactio pro culpâ, absq; satisfactione pro pœnâ? Quocirca de hac etiâ universalitate minimè dubitari debet.

XVI. Tandem universalitatem satisfactionis CHRISTI respectu omnium hominum damnatorum, quoq; & reproborum consideratam ex indubitatis scripturæ testimonijs probabimus: At quia de reprobis potissimum queritur, sequentia hæc annotasse sufficiat, ut: ne tibi illum perdas, pro quo CHRISTVS mortuus est. Rom. 14. v. 15. Item ex 1. Cor. 8. v. 11. ubi Apostolus scribit: Peribit frater, qui infirmus est, in tuâ scientiâ, propter quem Christus fuit

MORTUUS,

mortuus. Et Hebr. 10. v. 29. legimus: quando putatis pejori-
bus afficietur supplicijs, qui Filium DEI conculcarit, & san-
guinem Testamenti, ceu rem profanam habuerit, per quem fue-
rat sanctificatus.

XVII. Objicis, multos tamen miserrimum eterna salutis facere
naufragium? Respondemus, reprobos non propter Christi meri-
tum damnari, quod perfectissimum est, & totius mundi peccata
expiavit, uti ex superioribus liquet; sed propter incredulitatem,
quâ expiatorium illud CHRISTI sacrificium, temerè respicientes
celerem sibiipsis interitum accersunt, 2. Pet. 2. v. 1. Atq; huc perti-
net illud Ambrosi, serm. 8. in Psal. 118. Sol justitiæ omnibus ortus
est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Si
quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se frau-
dat, ut, si quis clausis fenestris radios Solis excludat. Et rectè Au-
gustinus: Poculum immortalitatis, quod confectum est de infir-
mitate nostra, & virtute divinâ, habet equidem in se, ut omnibus
prosit: Sed si non bibitur, non proficit.

XVIII. Et quamvis adversarij ipsam etiam scripturâ pro evertendâ
meriti Christi universalitate adducant. Tamen, si res ad Lydium
veritatis lapidem examinatur, eos ex falsis plerumq; explicatio-
bus & hypothsesibus argumentari deprehendimus.

XIX. Quocirca hæc etiam de questionibus & scitu necessarijs con-
troversis sufficiant. Reliqua enim, quæ de arduâ hac materia
prolixè satis disputari solent, alijs locis & temporibus merito
reservamus.

CAPVT IV.

I. Videre autem quemlibet opinor, quàm se latus doctrinarum
campus aperiat, si quæcumq; hoc loco se offerunt, persequi & in
singulis immorari velimus. Itaq; ex innumeris, quæ ad praxim
supperunt potiora tantùm eligemus. Et primò quidem, si passio-

nis


nis historia respectu DEI consideratur, speculum eterna erga
genus humanum dilectionis præbet. Sic enim DEVS dilexit mun-
dum, ut Filium suum unigenitum daret. Hujus immensi amo-
ris meditatione ipsum sincere redamantes cum August. suspi-
remus: Domine IESV dilexisti me plus quam te, quia mori voluisti
pro me. Pudeat igitur non reamare te, pro tanto amore tuo.

I. E contrario autem, unusquisq; etiam hic consideret, quan-
tùm divinae Majestati peccatum displicuerit. Peccatum enim san-
ctorum sanctissimo tot vulnera inflixit. Peccatum eum cruci-
fixit. Peccatum ignominiosissime illum morti tradidit. Hoc ite-
rum piâ devotione expendere decet, ut pravam peccandi consue-
tudinem summo, quoad fieri poterit, studio detestemur.

III. Respectu nostri autem passio Domini ita considerari debet, ut
primò nobis Christi meritum verâ fide applizemus. Sic enim ex-
clamabimus: Quid commisisti, amantissime puer, ut adeò tra-
ctareris? Quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mor-
tis tue? quæ damnationis tue occasio? Ego sum tui plaga dolo-
ris, tuæ culpa occisionis: Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ
flagitium: Ego tuæ passionis livor, tui cruciatûs labor! Deinde
vestigijs Christi insistamus, 1. Pet. 2. v. 21. & crucem nostram
tollamus, Marc. 8. v. 34. sperantes fore, ut, si in mundo
compatimur, illic cum omnibus electis regne-
mus, 2. Tim. 2. v. 11.

SOLI DEO GLORIA.

FINIS.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

S SACRÆ
na Sexta,
E RE.
OSTRI
TI,
θεώπω
10
S MEISNERI
& P. P.
disputandum
RUS COLO-
is.
mb. boris pome-
ri.
Æ
ccudebat,
IX.

